

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6611

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : « cives », Rouen (ville)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1150-1151, septembre]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Privilèges accordés ou confirmés par Henri, duc de Normandie, aux bourgeois de Rouen.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Chéruel Adolphe, *Histoire de Rouen pendant l'époque communale, 1150-1382*, suivie de pièces justificatives publiées pour la première fois d'après les archives départementales et municipales de cette ville, Rouen, N. Périaux, 1843-1844, 2 vol., t. 1, p. 241.
- b. Fréville de Lorme Charles Ernest de, *Mémoire sur le commerce maritime de Rouen*, depuis les temps les plus reculés jusqu'à la fin du XVI^e siècle, Rouen/Paris, Le Brument/A. Durand, 1857, 2 vol., t. 2, p. 10 (avec des coupures).
- c. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° XIV*, t. 1, p. 18-19.
- d. Société jersiaise, *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 332, p. 423-424 (extrait).

Indications

Giry Arthur, *Les établissements de Rouen*, études sur l'histoire des institutions municipales de Rouen, Falaise, Pont-Audemer, Verneuil, La Rochelle, Saintes, Oleron, Bayonne, Tours, Niort, Cognac, Saint-Jean d'Angély, Angoulême, Poitiers, etc., Paris, F. Vieweg (Bibliothèque de l'Ecole des hautes études ; 55, 59), 1883-1885, 2 vol., t. 1, p. 26 et suiv. Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland, 918-1206*, Londres, Her Majesty's Stationery Office, 1899, p. 109 (d'après l'inspeximus).

Dissertation critique

« Fin de 1150-commencement de septembre 1151 » : datation proposée par DELISLE/BERGER.

Texte établi d'après c

H[enricus], dux Normann[orum], Hugoni, Rothomagensi archiepiscopo, et omnibus episcopis et baronibus, vicecomitibus et omnibus baillivis et ministris et fidelibus suis Normannie, salutem.
Sciatis quod ego concessi civibus Rothomagi quod, sicut unusquisque eorum tenebat in anno et die quo rex Henricus vivus fuit et mortuus, ita teneat. Item quod nullus eorum respondeat pro appellatione alicujus latronis

recognoscentis, vel aliquo crimine convicti vel deprehensi, vel alicujus falsatoris. Item quod nullus eorum adversus aliquem placitet de aliquo placito extra Rothomagum, nisi ante ducem Normann[orum], ante quem ipsi placitabunt tantum ad Sanctam Walburgim et apud Oissel, et non alibi extra Rothomagum. Item quod nullus eorum custodiat prisonem vel in gaiola vel alibi, et id concessit eis rex Henricus. Item quod nullus eorum det pro mediatione, nisi vinum, et si in die qua vinum venerit Rothomagum oblata fuerit ministris ducis modiatio, et ipsi eam recipere noluerint, usque in crastinum ad horam tertiam expectabuntur, et exinde ille civis, cuius vinum fuerit, vendat illud ad velle suum sine forisfacto, salva ducis consuetudine. Item quod nullus eorum duellum faciat contra aliquem, qui sit pugil conducticius, per sacramentum decem civium Rothomagi, quinque intra civitatem et quinque de burgo ; illi autem cives sint in electione justicie. Item ab illo die quo cives Rothomagi homines Godoffredi patris mei effecti sunt, nec de factis nec de dictis preteritis, pro eis qui recesserunt a Rothomago et de communione Rothomagi respondebunt. Item ab eadem die, de firmis, de debitibus, de placitis, de occasionibus et omnibus querelis sint quieti. Item quod nemo intra Rothomagum aliquem hospitet ex precepto, nisi per proprium marescalum civitatis. Item quod terras et empticia sua et teneuras et vadimonia sua in pace teneant, et ego faciam eis reddi debita sua, si fuerint in pace et justicia mea ; et si aliquis post mortem regis H[enrici] dissaisitus fuerit, faciam eum ressaisiri, si fuerit in pace et justicia mea. Item quod reddam servientibus Rothomagi ministeria sua, sicut habebant tempore regis H[enrici]. Item quod nullus eorum in moneta vel vicecomitatū vel in aliquo ministerio ponatur, nisi sponte sua. Item quod nec tailliam faciam super eos, nec res eorum capiam, nisi sua bona voluntate prestare voluerint michi. Item quod omnes res et consuetudines que nocent civitati Rothomagi, que post mortem regis H[enrici] sunt facte et attracte in civitate et extra, pro consilio civium Rothomagi remanere faciam. Item quod nullus eorum de terra sua intersignia a vicecomitatū accipiat ad barrarium, sed ipse barrario affidet quod consuetudinem non debet, si ei aliter non crediderit, et nullus det aliquid barrario, nisi sponte sua. Item quod de vino alicujus civium Rothomagi, quod ad servitium ducis accipietur, quartus denarius non cadat. Item quod nullus eorum det aliquam consuetudinem de vino vel de alio quod de foris ad urbem veniat, quod fecerit affidare esse de presentatione. Item nulla navis de tota Normannia debet eschippare ad Hiberniam nisi de Rothomago, excepta una sola cui licet eschippare de Cesarisburgo semel in anno. Et quecunque navis de Hibernia venerit, ex quo caput de Gernes transierit, Rothomagum veniat, unde ego habeam de unaquaque navi unum tymbrum de marturina aut decem libras Rothom[agensium], si ejusdem navis mercatores jurare pot[u]erint se ideo non mercatos fuisse illas marturinas, ut auferrent consuetudinem ducis Normannie ; et vicecomes Rothomagi de unaquaque habeat viginti solidos Rothomag[ensium] et camerarius Tancarville unam accipitrem aut sexdecim solidos Rothomag[ensium]. Item nullus extraneus emat merces illarum navium sive aliarum que venerint de ultra mare, nisi per manus hominum Rothomagi. Si quis autem hoc fecerit, medietas mercimonii erit mea, et alia medietas hominum Rothomagi pro forisfacto. Item consuetudines Deppe sint similes consuetudinibus Rothomagi in teloneo. Item homines Rothomagi qui de ghilda sunt mercatorum sint quieti de omni consuetudine apud Londonium, nisi de vino et de crasso pisce. Item liceat eis ire cum mercibus suis per omnes nundinas Anglie, salvis legalibus consuetudinibus regis. Item ipsi cives Rothomagi habeant apud Londonium portum de Dunegate, sicut habuerunt a tempore Edwardi regis, tali consuetudine quod si in portu illo aliquam navim invenerint, undecumque sit, precipiant eam auferri inde, et expectabunt unum fluctum et unam ebbam ; et si navis inde ablata non fuerit, cives Rothomagi cordas navis illius rescindent si voluerint, et eam sine clamore et forisfacto inde depellent ; et si navis illa periclitabitur ex illa depulsione, nemini inde respondebunt. Item nullus civium Rothomagi dabit consuetudinem de parmenteria ad feriam vel ad forum, eundo vel redeundo citra Sequanam. Item debita et conventiones que facte fuerint Rothomagi ibi reddantur, vel si negate fuerint, ibi respondeatur. Item nullus mercator transeat Rothomagum cum mercatura sua per viam Sequane, vel sursum vel deorsum, nisi civis Rothomagensis fuerit. Item nullus extraneus potest decarcare apud Rothomagum vinum in celario. Omnes autem predictas consuetudines affiduciavit Godofredus dux Normannorum, pater meus, se tenere, et pepigit quod faceret affiduciare uxorem suam, matrem meam, et filios suos loco competenti, tempore opportuno congrue summonitionis. Ego ipse has affiduciavi tenendas ; et si forte continget quod in aliquo a predictis concessionibus deviarem, infra XLmam diem, qua a predictis civibus summonebor, emendabo absque conventionis infractione. Has etiam concessiones tenendas ceperunt in manu Philippus Baiocensis episcopus et Arnulphus Lexoviensis episcopus, et eas affiduciaverunt tenendas Waleranus comes Mellenti, Helias frater ducis, Willelmus Lupellus, Robertus de Novo Burgo, Richerius de Aquila, Willelmus de Vernone, Rogerius de Toneio, Baudricus de Bosco, Amalricus Crespin, Gislebertus Crespin, Goscelinus Crespin, Henricus de Ferrariis, Robertus de Corceio, Ricardus de Haya, Engelgerius de Bohun, Alexander de Bohun, Guido de Sableio, Absalon Rongnart, Goffredus de Cleris, Hugo de Monte Forti ; testibus : Hugone archiepiscopo Rothomagensi, Reginaldo de Sancto Wallerico, Pagano de Clara Valle, Enguerranno de Sayo.

Apud Rothomagum.